

Aquil.) Nec malitiis hominum est indulgendum. (l. In fundo alieno. §. penult. ff. de Rei vendic.)

STATUTUM XXXV.

De Custodia Ignis.

Quanta damna negligens custodia ignis inferre soleat, nuper in Domo Nostra hac paenitus praeter parietes muratos cum Bibliotheca et praetiosa tam communi, quam Professorum particulari suppellectili ex occasione PP. Societatis Jesu, igne consumpta experti sumus. Statuimus igitur et districte praecipimus, ut non solum communis familia, sed etiam ipsi Clarissimi Professores ac servitores eorum, ignem exactissima diligentia custodiant, eundem semper in laterna, praecipue ibi, ubi materia ustioni apta reperiatur, deportent, caudalam parieti ligneo non applicent. Quodsi secus fecerint, vel aliquis eorum fecerit, per Praepositum moneatur, ac tandem pro arbitrio puniatur. Ignem enim negligenter servantes manere non debent impuniti. (l. Nam salutem. §. 1. ff. de Offic. Praefect. Vigil.)

STATUTUM XXXVI.

De Librorum ex Bibliotheca acceptione et Bibliothecarii electione.

Quoniam naturaliter quilibet scire desideret. (l. Apud Julianum ff. de Fidei Commisar. liberet.) vel a peritis, vel a mutis Magistris Libris, qui ad Scientiam acqvirendam. (jux. c. Exiit. §. In alio quoque de Verb. Significat. in 6.) simpliciter sunt necessarii, discere, illosque quoties opus est et necessitas exigit, consulere debet. Quod ut facilius fiat, statuimus, quatenus unicuique Professore, hic in Collegio manenti facilis sit ad dictos mutos Magistros Libros in Bibliotheca Collegii existentes accessus, ita tamen, ut eosdem extra sine consensu Bibliothecarii, per Communitatem quolibet Anno eligendi vel reeligendi ac subscriptione sui in Libro ad id comparato, seu alias submissione de restituendis acceptis danda, multo magis extra Collegium efferre sub paenis